

~~1173.~~

EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.
VITEBERG.

1173.

SIGNAT. o1o1oCCCXIII.

I. N. J.
QVÆSTIONES
LOGICÆ

De
Syllogismi terminis, Euporiâ, Apo-
dixi, Sagacitate, Dicto de omni & nullô, Figurarum
ac Modorum numerô, & Διαμαρτία.

QVÆS

PRÆSIDE

VIRO CLARISSIMO

DN. M. ERNESTO BAKIO,

Amplissimæ Facult. Philos. Adjunctô dignissimô,

Dn. Præceptore, Fautore & AVUNCULO suo hõ-
noratif. dilectif.

placidæ eruditorum disquisitioni

ad d. 23. April. horis autem.

in Auditorio Majori,

proponit

JACOBUS Wächstler / GRIMMENSIS

Autor & Respondens.

WITTEBERGÆ,

Typis JOBI WILHELMI FINGELII,

ANNO MDCCCXIX.

VIRIS Admodum Reverendis, Amplissimo, Excellentissimo, Clarissimis,
DN. FRIDERICO HOLTZ,
 MANNO, S. S. Theol. D. celebratissimo, Eccl. apud
 Grimmenes Pastori, vicinæq; Diaceleos Super-
 attendenti vigilantissimo;
DN. M. JACOBO WÄCHTLERO, EC-
 CLES. patr. apud eosdem Archi-Diacono benè meritissimo;
DN. M. JOHANNI REUSSINGIO,
 ejusdem Eccles. Diacono semper fidelissimo,
DNN. Patronis, Promotoribus, PARENTI, ac Fautoribus meis magnis, ex-
imie dilectis, omniq; pietatis ac reverentia cultu at a tem prosequendis
 S. P.

S Irerum natura permitteret, jam jam decerpi, do-
 mumq; portari, quos amanores pregnantium ramorum palmi-
 tumve oculi fructus promittunt in presens, adversus cupiditatem
 non staret fortè tragula. Primus hortorum ridentium vultus, viridium pri-
 ma segetum facies, quem sinit abesse procul, quem nò afficit? Solent sibi, nes-
 cio quid, peculiaris conciliare favoris primitiæ, sordentq; vetera, cum nova
 incipiunt; nec, quæ sequuntur, parem cum primò voluptatem reperiunt.
 Quàm vellem, à Vobis, LAUDATISSIMI VIRI, paucillum primus hic, quem
 Vestrum Nominibus inscripsi, studiorum meorum fructus iniret gratia! Pos-
 set forsitan, si foetus ingenii esset præstantioris. Annosam tamen haud raro
 fructusq; sapidioris transimus arborem, tenerioris amore, inq; proceritatis
 futura spem adolescentis arbuscula, capti. Vos, præslitæ mihi, ni benignitas
 pœnituerit, nive jucunda beneficiorum Vestriq; vobis memoria desierit es-
 se, quia fronte porrecta, promeritum diu servaturumq; Vobis, apprehendatis
 munusculum, non poteritis. Accipite igitur & hoc, & me totum! Qui divi-
 nae Vos, MÆCENATES, Teq; Carissime PARENS, & Vestros tutela clementiaq;
 in tempus omne cupio dicatos. VALETE!

A. & R.

IN NOMINE JESU!

Quid Philosophari sit, percontato inter fercula quondam Ptolomæo Philadelpho præter alia quidam: *Benè*, respondebat, & *commodè ratiocinari*. Ergò ignorare mihi multò nobilissimam Logices præstantiam videntur, qui, melioris adhamâtes doctrinæ palmam, si præcepta illi primoribus labris gustassent, sat benè suis consultum studiis, infelices arbitrantur. Quid enim? an Logices operare Philosophia, aut alia facultas ulla, potest? numquid ad splendidissimæ illius, illius venerabilis vitæ nostræ reginæ, Eruditionis palatia patebit accessus, Logices, deamandæ janitricis ipsius, non procanti amorem? Nec tamen alieni, quò ventulus nostræ fiat, egetur pallii; quæ, aliarum fungens disciplinarum tuendi munere, se ipsam tuetur fortiter atq; commendat. Quâ de re sui cultoribus cum primis contingit esse certiores. Nôs in præsens principia syllogismi tum *materialia*, quæ termini sunt, & propositiones; tum *formalia*, figuras modosq; tum *directivum*, Dictum de omni & nullò; *perfectiva* tandem, reductionem atq; expositionem, *in egyptiâ* tractando navabimus operam. Cumq; *materialia* principia nunc in probabili, nunc in necessariâ reperiantur materiâ, *euporiam* atq; *apodixin* pretium erit operæ admiscuisse. Sit igitur

Quæst. I. Quot syllogismi termini sint.
resp. TRES!

Idex Dicti de O. & N. patet ratione. Hoc enim subjectum, de quò quid prædicatur; & prædicatum, quod de subjecto dicitur; illudq; quod accipitur sub subjecto, *iter. nucl.* continet. Hinc *medius, major, & minor* termini! Porro *p. 194.*

A

quæ-

Reg. probl.
lib. 4. probl.
3.
1. post. 19. t. 1.

Scheibl. tr.
syll. c. 1. num.
70.
Giesfl. 1. 2.
dial. c. 15.
Reg. lib. 4.
pro. 5. Dänh.
Epit. p. 118.
1. prior. 27.
§ 3.

Keck. 13.
syll. p. 417.

Hipp. probl.
Log. 27.
1. prior. 4.
§ 3.

quædam in omni syllogismo proponitur quæstio, duobus constans extremis; cujus σχέσις ac veritas tercio probatur assumptò quòdam. Concludimus igitur cum philosophò; πᾶς συλλογισμὸς διὰ τριῶν ὄρων.

Terminus à τέρμινος vel τέρμα, i. e. *meta*, dicitur; quia propriè est finis, aut extremitas alicujus rei. Per terminos h. l. materiam syllogismi intelligimus, ex quibus nêpê fit, quibus terminatur, in quosve resolvitur syllogismus. Appellantur Gr. ὄροι, ἀκρα, extrema; suntq; major, minor, & medius. Major *prædicatum*, minor *sub-jectum* quæstionis seu conclusionis est, Naturaliter enim prædicato convenit, latius esse & nunquam subjectò minus: quemadmodum id, quod latius est, prædicari de angustiori, jubet natura. V. g. non dico: *animal est homo. Orator est Cicero.* Sed: *Homo est animal. Cicero est orator.* Gravem dicam, si subjectum latius prædicato statueris, dicto de O. & N. impingis. Tum enim quomodo prædicatum DE OMNI subjectò, omniq; subsumptò dicitur? an verò minor, qui sub mediò sumitur, etiam erit mediò latior, si de ipso medius prædicetur? Non. Itaq; in naturali syllogismo, perinde ac in absolutâ naturali; prædicatione, prædicatum latius subjectò est, subjectumq; prædicatò angustius. Unde prædicatum major, subjectum minor vocatur terminus: isq; majorem præmissam, minorem hic denominat. Medius tandem *tertius terminus* est, sive ratio, quâ majoris & minoris probatur connexio. Hic medius dicitur, partim θέσεως ratione; quia, quando majori subjicitur, est infra majorem, & quando prædicatur de minore, est supra minorem, justumq; sic, ut in primâ Figurâ, medium tenet. Partim ratione φύσεως atq; officij; ipsò siquidem περιωρισμένω mediante, extrema duo per quoddam quasi

quasi copulantur conjugium, Ut v. *medius* revera sit me-
dius, h.e. infra majorem, & supra minorem, DICTI po-
stulat lex. Quod si namq; de majore prædicetur me-
dius, ut medius hâc ratione supra majorem sit; major
DE OMNI mediò dici non poterit. Ita, si minori subji-
ciatur medius, ut hâc modò medius minore sit angusti-
or; sequitur, sub angustiiori latius posse subsumi. Nam
sub mediò minorem sumi, certum est, ipsumq; adeò in
mediò includi. Contrarius ubi processus datur, illic di-
ctum de O. & N. non habet locum. Quo ipsò ariete
qvartam deinceps figuram demoliamur.

*Quest. II. Numquid Euporia commode tractetur
in Logicis. Resp. SIC.*

Probat inde, qviam materiam syllogismi formamq;
considerat Logica. Euporia v. non materiam tantùm *Keckerm.l.*
juvat, cujus pars medius terminus est; sed formam qvo- *3. syst. p.m.*
q; qvonia hujus medii evolvit habitudinem. Rectè *409.*
Dn. Scheibl. Per Euporiam syllogismi potestas concedi- *tr. syst. c. 1.*
tur: quam nò obtineas, parùm erit, syllogismi structu- *num. 84.*
ram cognoscere. Concludimus ergò cum Philos. *ὁ μόνον ἰ prior. 27.*
δεῖ θεωρεῖν τὴν γένεσιν τῶν συλλογισμῶν ἀλλὰ καὶ τὴν δύ-
ναμιν ἔχειν τῶ ποιεῖν.

Euporia, *εὐπορία*, ab *εὐπορος*, expeditus, facilis
pervius, them: *περίω* transeo, progressum expeditum si-
gnificat, facilem cursum, facultatem. H. l. juxta Logico-
rum usum, facilem inveniendi medii rationem. Estq;
duplex; *generalis* seu *analytica*; & *specialis*, topica & *Dannb.E.*
apodictica. Illa nempe *analytica*, qvæstionem in suos ter- *pit. p. 125.*
minos resolvit, mediumq;, qvò dispositioni conveniat *2 prior. 28.*
ipforum, pro te natâ eligit. Proponitur ab Arist. lib. I. *t. 12.*
prior anal. ab interpp. verò variis explicatur, penè dixe-
rim, implicatur variè; qvòd sanè tot prodigiosi ASINO-

Corn. cur.
ric. p. 1. p. 197
Dannb. E-
pit. p. 124.

1. prior. 28.

Reg. lib. 4.
probl. 5.

RUM testantur pontes; tot circularum anfractus, totq;
monströsa vocabula. quæ si vidisset Hercules, interemif-
set. Universa ejus ratio fundatur in hoc: *Affirmanda
conclusionis medium sit utriqve extremo consentaneum;
neganda v. alteri dissentaneum.* Consentaneum dicitur,
quod affirmativè connecti, vel ut antecedens, vel ut
consequens, potest: dissentaneum, quod repugnat, *Ante-
cedens* porro est, cui aliquid attribuitur, ὃ τι ἐπιεται. *Repu-
gnans*, quod affirmativè non potest copulari cum aliò,
ὃ μὴ ἐνδέχεται συνέγειν ὑπέχειν. Sic in omnibus propo-
sitionibus affirmativis *Subjctum* dicitur antecedens,
& *Prædicatum* consequens: in negativis v. repugnantia
subjctum & prædicatum sunt. Sensus ergo Canonis
hic est: In syllog. affirmativò medius utriq; extremo,
majori & minori, sit consentaneus h. e. affirmativè cum
eisdem connectatur. Ratio est, quia, syllog. affirmantium
fundamentum, Dictum de omni, vult, ut aliquid affir-
metur de subjctò, rursusq; subjctum de subsumptò
affirmetur suò, Veluti fit in *barbara, darii*; ubi præmissæ
affirmativæ omnes sunt, quia conclusio debet sequi affir-
mans. Similiter in syllog. negativò medius alteri extre-
morum repugnet, alteri sit consentaneus h. e. affirmati-
vè cum alterò extremò, cum alterò negativè cohæreat.
Ratio est, quia dictum de Nullò, negativum syllog.
fundamentum, vult, ut aliquid negetur de subjctò, sub-
jctumq; de subsumptò affirmetur, ut fit in *celarent, fe-
rin.* Quorum altera præmissa affirmat, negatq; altera:
negativus namq; syllogismus extruitur. Jam nunc pro-
bo conclusionem hanc: *Homo est animal*, in *barbara*
vel *darii* per id medium, quod utriq; extremo est con-
sentaneum, *juxta Canonem*, majori quidem, ut antece-
dens;

dens; minori, ut consequens, propter dispositionem. Scilicet in hisce modis medium præmissæ majoris sub-
jectum seu antecedens, & majoris prædicatum seu con-
sequens est. Pariliter hanc conclusionem: *Homo non
est animal*, in *celarent*, aut *ferio* per id medium quod
alteri repugnat, alteri convenit, & quidem ut repugnans
majoris, & consequens minoris. Nam prior istorum
modorum præmissa negat, inq; posteriori medium est
prædicatum seu consequens. Atq; sic porrò in cæteris,
Ratio ex canone laudatò sumitur, variâq; medii, pro cu-
jusvis figuræ modiq; genio, dispositione: quam si ὁρθῶς
aspicias ὁμῶσιν, circa medii inventionem non poteris
errare. At, iniquis, hæc quidem medii habitudo est,
quodnam ipsum medium? resp. hîc Rhodus, hîc sal-
tus! Nolis id rogare Logicam, quod præstare Philoso-
phia, facultasve alia debet. Quamvis Euporiæ præce-
pta Locosq; inventionis vel ad ungvem teneas, si Theo-
logiæ, aliarumve disciplinarum sis expertus, nil magis es
consecutus, quàm qui forcipem coëmerit aut malleum,
evellendis aut incutiendis destitutus. Hæc ergò est analy-
ticæ Euporiæ doctrina, quam si ad asinorum usq; exten-
das pontem, ut crucem tyronibus figas, laureolam quæ-
res in mustaceo. *Topica* v. Euporia τῶν ἄλλῃ, locos in
quadruplici classe proponit. Una eorum est, qui sunt in-
tra rem seu interiorum, *Definitionis, Divisionis, Generis,
Speciei, Differentiæ, Totius, Partis &c.* Altera circa rem
seu exteriorum, *Causæ externæ, Proprii, communiter Ac-
cidentium &c.* Posterior extra rem seu exteriorum,
Majorum, Minorum &c. Postrema contra rem seu oppo-
sitorum, eorumq; *privativè, contrariè, contradictoriè, re-
lativè!* Ex hoc penu quomodo depromendi medii ter-
mini sint, quàm facillimè *Pl. Rev. Dn. D. Scharff.* expli-

Reg. lib. 4.

probl. 8.

Keck. l. 3.

synt. p. 409.

Dannb. E.

pit. p. 125.

Gross. Coll.

Log. Dis. II

Instit. Log.

cat. p. 643. & 94

A 3

cat. Nec tamen ipsæ hi Loci sunt res, sed pyxidum quasi tituli, monentes, unde pharmaci seu argumenti species petendæ. *Apodicticam* tandem euporiam in quæst. IV. vide sis.

Quæst. III. *Quid sit Demonstratio.* Resp.

Syllogismus ex necessariis scientiam pariens.

1. prior. 4.
t. 1.

Genus est syllogismus διὰ τὸ καθόλου μᾶλλον εἶναι τὸν συλλογισμόν. Demonstratio enim quidam syllogismus est; non verò omnis syllogismus demonstratio. Quæ admodum etiam in Demonstrativum, Topicum, atq; Sophisticum dividitur Syllogismus. Differentia sumitur *partim* à materiâ, principiis nempe ac præmissis, scientificâ necessitate præditis. Nam necessaria conclusio ex necessariis sequitur. *Partim* à fine seu usu, in quò posita demonstrationis natura, vis atq; essentia est: quò positò poni, sublatòq; tolli videtur. Nec enim quivis necessarius syllog. demonstrativus est, sed qui ex summè necessariis ἀμετάπτωτον facit animum, scientiamq; propriè dictam producit. Prout Philos. concludit, ἀ-

1. poster. 2. t.
5. c. 4. t. 1.

πὸδειξιν εἶναι συλλογισμόν ἐξ ἀναγκαίων ἐπισημοῦνόν.

Demonstratio Gr. ἀπὸδείξις, ἀπὸ τῆ ἀποδεικνύειν, q. e. *digitò quasi ostendere & demonstrare*, dicitur: quia ex eis construenda principiis est, quæ veritatis & evidentiaæ robore pollent maximò. Neq; enim hîc eam *latè* pro syllogismò, qui evidentem conclusionem necessariâ infert illatione, sumimus. Neq; *strictius* pro syllog. ex propriis & vernaculis cujusq; disciplinaæ principiis constatò, seu Didascalico. Sed *propriè & strictissime* pro syllogismò, scientiam propriè dictam ex principiis summè necessariis eliciente. Hujus γένεσις voce *necessitatis* exprimitur, quam & ipse Philos. explicat, *necesse est*, inquam, *demonstrationem ex veris esse, & primis, & immediatis, &*

Gross. coll.
Log. Disp.
70.

1. poster. 2.
t. 6.

notio-

notioribus, & prioribus, causisq; conclusionis. Ejus scilicet præmissæ debent esse veræ, h. e. ne per naturam quidem suam se aliter habere. *Τὸ μὴ ὂν ἐν ἑστῶ ἐπιστηθεῖαι.* *ib. t. 3.*
Tantummodò ex veris verum probatur, nunquam ex falsis. Primæ sint, & immediatæ, in quibus prædicatum subjecto, tanquam *πρῶτῳ δευτέρῳ*, insit, ut neq; probari per aliud medium queant, neq; eò habeant opus. Principia secus non erunt, sed quædam ad summum necessaria rationes, ex quibus & *μὴ ἀποδεικνύς* possit ratiocinari. *ib. t. 3.*
Sunt autem principia primâ vel simpliciter & absolute prima, quæ prorsus non habent prius, ex quò probentur, per se fide digna, v. g. *Quodlibet est, aut non est. Quicquid DEUS dicit, verum est.* Vel secundum quid, quæ in certâ, quò probentur, disciplinâ non indigent, qualia in *Physicis & Mathe.* theses, hypotheses, ac postulata sunt. Vel, qualibus in suâ contra Judæos Apologiâ Salvator opt. max. utitur, *Politicum*; Concordiâ res parvæ crescunt. *Oeconomicum*; Domus, in se divisa, cadit. *Bak. comm. sup. Oculi.*
Ethicum; De aliis ita judices, ut de te, tuisq; : ut meus explicat benedictus ac beatiss. AVUS, *Dn. D. Bakius.* Cæterùm hæc hactenùs evolutæ conditiones *ἀσχετοι* vocantur, quia, absq; ullò ad conclusionem respectu, præmissis competunt. Seqvuntur *σχετικαί* h. e. quæ habent *σχέσις* certam, respectumq; ad conclusionem. Hinc *notiores, priores, & conclusionis* indigitantur *causa*, quia non solum, mediantibus his, conclusio cognoscitur accuratè; verùm ipsa etiam res, quæ demonstratur, propter eandem verè in rerum existit naturâ. Notius autem & prius duplex est: naturâ, & nobis. Pariliter præmissæ notiores *1. post. 2. t. 11.*
priorsq; vel *Φύσει* ac naturâ sunt, quoniam causa naturâ notior priorq; effectu est. Jam v. præmissæ sunt *2. post. 16.*
causa, causamq; affectionis continent, Ergò. Vel *ἡμῖν* & *t. 3.*
nobis

Scheibl. tr.
syll. c. 15.
num. 84.
1 post. 2. t. 16.

nobis; quia, quemadm. non nisi ex iis, quæ nobis cognita sunt, venire ad in cognita rei notitiam possumus; ita prius præmissas, quàm innotescat conclusio, cognitæ nobis esse oportet. Nam, propter quod credimus conclusioni, illi magis credimus. At ignotis nulla fides. Deniq; tandem, cur dicantur *causæ*, modò diximus non-nihil. Sunt equidem non formalis causa seu consequentia duntaxat, quoad conclusionem inferendam; sed & partim essendi seu consequentis, quoad rem conclusioe inferendam; partim cognoscendi, quoad perfectam distinctamq; notitiam conclusionis. Numeris his, his

e. 7.

1. post. 4.

τῶν ἀποδείξεϊς ἐκ ἑστῶν. Iisq; affectæ propositiones non possunt non esse necessariae; alia quidem vel *κατὰ πάντας*, *universalis*; alia *καθ' αὐτὸ*, *universalis* & *essentialis*; alia *καθόλου*, seu *universalis*, *essentialis*, & *convertibilis*. Qui necessitatis gradus sunt; quorum quòd quæ propositio plures continet, eò aptior est demonstrationi; & si *καθόλου* sit præmissa utraq; , eò præstantior expectanda demonstratio est. Hinc demonstratio *ὅτι*, τῷ *διότι* ignobilior, ob tantæ necessitatis defectum, dicitur. Nihilominus, quia procedit ex primis, veris, immediatis, & (quoad nos) prioribus juxtimq; notioribus, quæq; causa (*formalis* & *cognoscendi*) sunt conclusionis, utiq; gignit scientiam, utiq; vera proprieq; dicta demonstratio est, licet quoad hoc, vel istud, vel illud nobilioris demonstrationis ornamentum quoad antenus ignobilior.

Scheibl. tr.
syll. c. 15.
num. 99.

ib. num. 9.

Quæst. IV. *Quodnam demonstrationis principium sit* Resp. CAUSSA.

1. post. 6, t. 8.

Quòd major est consequentis necessitas, eò certior ipsa conclusionis est veritas. Ubinam verò necessitas major, quorumve connexio necessaria magis, quàm causæ & ef-

& effectus? causæ præsertim per emanationem; quàm scil. positam subitò sequitur, nec potest non sequi effectus.

Nam & hujus virtute omnes causæ ingredi demonstrationem queunt, cum valeant omnes dare rationem, cur affectio in sit subjecto. Perfectè sciemus igitur, causâ rei cognitâ. Qvod si v. ad pariendam scientiam causa requiritur, quare non ad demonstrationem, per quam scimus, ac scire dicimur? Unde cum Philos. concludimus: τὸ μέσον, αἴτιον.

Reg lib. 5.
probl. 6.
2. post. 11. t. 1.
1. post. 3. t. 10.

2. post. 12. t. 1

Causa quibusdam à Gr. καύσις, quod res velut ardore quòdamad agendum inflammet; quibusdam v. & rectius à cavendò quòd caveat, ut aliquid agatur, aut non agatur, dicitur. Significat h. l. ex Logicorum usu, medium demon-

strationis terminum, ejusq; inventio Gr. ἀρχινοια seu *gacitas* appellatur, cum causæ rerum haud sanè dari sine summò ingenii acumine possint. Frequentius id medium

7. Mart.
inst. I. og.
lib. 5. c. 34.

vocatur *principium*, ἀρχή, αἴτιον πρῶτον, it. ἀξίωμα, ἐξ ἧ. Velut etiam major h. l. *affectio*, παθία, ἴδιον πάθος, πάθημα, τὸ ἀπιδεικνύμενον συμπεράσμα; & minor *subjectum*, τὸ γένος τὸ ὑποκείμενον, δίδόμενον, πρῶτον πάσχιον salutantur. Per

1. post. 7. t. 2

causam igitur quodvis principium, ex quò de subjectò demonstratur sciturq; passio, intelligimus: sive id jam vera passionis causa, sive ratio sit, ut causa concepta. Namq; attributa divina de DEò, deq; Ente affectiones transcendentales *scientificè*, adeoq; per demonstrationem omninò perfectam, nec tamen per ullam propriè dictam causam, cognoscimus. Ibi enim inter medium atq; affectionem realis datur identitas; cum inter veram efficientem & c. & effectū

Scheibl. syll.
c. 15. nr. 44

realis reperiatur distinctio. Agnoverūt inde jam olim philosophi non mali, ad demonstrationem sufficere, si detur ratio inferens à priori, vel ratio formalis, ex quâ procedat probatio: ut si ex immaterialitate anima demonstret immortalitatem ejusdè; ut i rectè docet Pl. Rev. atq; Excell. Dn. D. Holtzmann.

Holtzm.
Coll. Pnev
disp. 1. p. 3.
ἐκ θ. 2.

et eadem; ut i rectè docet Pl. Rev. atq; Excell. Dn. D. Holtzmann.

B

rus.

Reg. lib. 5.
probl. 6.

Scheibl. l. c.
num. 80.

2. post. 16. t. 3.
1. post. 13. t. 1.

Itt. nucl. p.
129.

Dānb. Epit.
p. 114.

nus: Adhac principium sufficit, quod affectionis duntaxat, ad quam etiam cognoscendam ordinatur demonstratio, causa sit: cum non propter subjectum, sed propter affectionem medium postuletur. Quod si fiat, ut medium sit vera passionis, vel etiam subjecti & passionis causa, præter necessitatem accidit: magis autem honorificum est. Veluti quodq; , majorem præmissam esse immediatam, sufficit: sin utraq; , eò erit nobilior demonstratio. Perinde ac ferreà clave aperitur conclave; magis honorificum tamen est, si clavis aurea sit, vel argentea. Procedit ex *causâ* igitur ac *priori* primaria demonstratio, e. g. *O. homo est risibilis, quia est rationalis. O. corpus est quantum, quia materiam habet.* A posteriori verò h. e. ab effectu, signò, *causave remotiori* secundaria, quomodo ex *providentiâ DEUM*, ex *sumò ignem* cognoscimus. Unde duplex demonstratio: τὸ διόν, propter quid, quæ est *κατ' ἐξοχήν* & simpliciter dicitur *ἀπόδειξις*: & τὸ ἔτι, quòd sit.

Quæst. V. *Quodnam syllogismi fundamentum sit.*
resp. DICTUM de omni & nullò.

Pudicum ferè est, operosè ostendere, principium totius syllogisticae artis esse, quod vocamus, DICTUM de omni & nullò; quod nec natura finit ignorari. Tres ad utrumq; requiruntur propositiones, quarum prima de mediò universaliter aliquid affirmet vel neget, estq; *præmissa major*. Altera sub mediò sumat aliquid, estq; *minor*. Tertia, quæ, quod in majore de mediò affirmatur vel negatur, de minore etiam affirmet vel neget, estq; *conclusio*. En tibi naturalem syllogismum! en tibi naturalem disputandi cogitationem! en tibi fundamentum syllogisticae, quod in exercitò actu integer est syllogismus. Violare id in argumentandò simpliciter nefas est. Ex eò quavis mensuratur consequentia, nascitur quivis modus, quilibet Canon depromitur. Concludimus

mus

mus ergò cum Philof. perfectum esse syllogismum, cuius ita sint inter se affecti termini, ὡςτε τὸν ἑσχατον ἐν ἔλω εἶναι τῶ μέσῳ, καὶ τὸν μέσον ἐν ὀλω τῶ πρώτῳ εἶναι, ἢ μὴ εἶναι.

1. prior. 4.

t. 2.

Quando quid universalis vel affirmatione vel negatione dicitur de alio, raptim DICTUM, vel dici de Omni & Nullo, effertur. Dicitur Gr. τὸ κτ' παντός, ἢ μηδενός; illudq; describitur esse, quando nihil sumere sub subjectò liceat, de quò non dicatur alterum. Hoc, quando nihil sumi sub subjectò queat, de quò alterum non removeatur. Subjectum, cuius fit mentio, medium esse terminum, τὸ alterum v. majorem seu prædicatum conclusionis, est ita clarum, ut cœlò sudò meridies. Igitur hic elicitor sensus: Cujus syllogismi major de mediò universaliter sumptò, & completè distributò, mediùsq; de minore affirmatur; is habet dictum de omni v.g. *O homo est animal: Petrus est homo, E. Petrus est animal.* Sub *Homine* sumitur *Petrus*: unde, quicquid de omni homine verum est, id quoq; verum erit de quovis contentò sub homine. Diximus: de mediò completè distributò, ut non solum τὸ omnis, sed & τὸ omne quod ipsi possit apponi. Major enim hujus v.g. *O, panis est inanimatus. Corpus Christi est panis, E. corpus Christi est inanimatum*: De omni, ut ut videatur, non est: cum non omne, quod est panis, inanimatum sit. Atq; hòc affirmantes syllogismi omnes, si velint esse legitimi, vel explicitè, vel implicitè nitantur fundamentò. Negantes contrà dictò de nullò; cuius hic sensus est: Major universaliter de omni mediò negetur, ut in conclusione deinceps de minore, qui subsumendus sub mediò est, itidem negetur. V.g. *N. homo est lapis; quoddam animale est homo, E. quoddam animal non est lapis.* Sub *homine* accipitur *quoddam animal*: unde, quicquid negatur de omni homine, id quoq; de omni, sub homine acceptò, negandum. Quemadmodum præterea apud Celtas olim, cæ-

1. prior. 1.

t. 11.

Reg. 1. 4.

probl. 5.

Scharff.

man Log. p.

218. Cellar.

de Cons. p.

44. Itt.

nucl. p. 191.

terosq; Germanos, nascentes

----- *exploravit gurgite Rhenus:*

Ita syllogismi boni sint, an *notis*, eodẽm hõc principio, ut infra *Qvæst. 7.* patebit, dignoscitur.

Qvæst. VI. Quot sint figurae. resp. TRES.

Tripliciter se trium terminorum *γνησιός Φυσική*, legitima ac naturalis dispositio, quæ scil. cum dictõ de O. & N. congruat, potest habere. Vel, ut ipsius requisita *actũ, explicitè, & completè*, quemadm. in primâ figurâ; vel, ut in posterioribus, *potestate, implicitè, & ex parte aperta*, reperiantur. Hõc modõ, cum duo sint illius Dicti requisita, nempe ut (1). major dicatur de omni mediõ (2.) medius includat minorem, adeoq; de minore prædicetur, *Vid. Qvæst. 5. & 9.*
2. Hõc modõ, inquam, vel *prius* requisitum apparet, ut in secundâ; vel *posterius*, ut in tertiâ figuris. Namq; in *primâ* de omni mediõ major, mediusq; de subsumptõ, quod in se continet, prædicantur: in *secundâ*, major quidem de omni mediõ expressè non prædicatur, medius tamen de subsumptõ: in *tertiâ* major de mediõ dicitur, quando medius de subsumptõ non prædicatur explicitè. Latere autem requisitum DICTI utrumq; manifestam ejus absentiam, discursumq; naturali genio disputandi actu contrariantem, indicat. Alterutrum deesse, consequentiæ bonitati nil derogat; evidentiam tamen insigniter impedit, reductionis beneficiõ solitam declarari. Sic patet, legitimam terminorum œconomiam dari triplicem, quare cum Philof. triplicem statuimus figuram.

Figura, Gr. *σχῆμα*, à fingendõ seu *rem imitatione exprimendõ*, dicta notat h.l. ex usu Logicorum, nil aliud, quàm ut *Alexander* habet, *γνησιός Φυσικήν τριῶν ὀρων ἐν συλλογισμῶ μέθοδον*, naturalem ac legitimam trium terminorum in syllogismõ dispositionem. Naturalis dicitur, quia, cui suc-

*Reg. probl.
5. lib. 4.*

*Art. nucl. p.
182.
1. prior, 4,
5, 6.*

currere debet, naturali intellectus discursui, Dicto de O. & N. non debet contravenire. Ex quo etiam, ut legitima sit, sequitur. Hinc Galenisticam figuram, quam *Ursinus* exprimit ita: *O. homo est animal. O. animale est corpus. E. Quoddam corpus est homo*: proq; virili conatur defendere, tanti non erit ommittere. Cum, quod naturali disputandi genio actu repugnat, primumq; syllogisticae fundamentum completè explicitèq; impugnat; ne utiqvam putemus rationem discurrendi facilitaturum, meritoq; Logicae civitatis damnandum exiliò. Quid enim? num ibi major de medio saltem dicitur? aut sub mediò quid subsumitur? ne utiqvam. Probatur, quia *subsumptum*, ut in exemplò *ò corpus*, prædicatur ibi de mediò, in quo debet includi. Medium igitur, quod subsumptum continet, latius est subsumptò, adeoq; prædicari de subsumptò, tanqv. angustiori, debet. At hic loci *subsumptum prædicatur* de mediò; ergò latius est mediò; ergò non includitur in mediò; ergò sub mediò legitime nõ est subsumptum. Neq; nõ altera *dicti* conditio deest, quã de omni mediò major dici debet: cum ibi potius de omni majore dicatur medius. Idcirco etiam sub omni majore accipere minorem debuisset *Ursinus*, quò medius, quã de omni majore prædicatur, in conclusione quoq; de subsumptò diceretur. Scilicet, quod *Ennius*, citante *Nonio*, de simiã canit:

Simia quàm similis turpissima bestia nobis!

Idem fortè quartæ huic, primam ineptè simulanti, figuræ posset applicari. Nihilominus simia est simia, etiam si aurea gestet insignia; nec pro legitimã isthæc figura unquam habebitur. Nam & hoc sequitur, medium ibi, quatenus de majore prædicatur, & subjicitur minori, majus esse majore, & minus minore: extrema esse medium, mediumq; proprium extremorum, majoris &

part. 2. qv.
ill. disp. 14.

Reck 1.3.
Syst. p. 417.

Gross. coll.
Log. disp. 9.

minoris, sustinere vicem. Quasi verò idem homo Goliathò major, minor tamen esse Davide posset. Ἄπορον. Ad Ursini exemplum dicimus, non concludi naturaliter, cum nec medius includat minorem, nec major medium. Et de ipsà summam figurà pronuntiamus, dissolutas scopas esse, contrariam disputandi naturam, syllogistici naufragium fundamenti, nullamq; terminorum connexionem. Diffimulare perplexitatem suam, aliusq; figuræ virtute, ut consequentiam simulet, concludere.

Quæst. VII. Quot sint Modi. resp. XIV.

Quatuor *prima* figura modos habet, uti ex ratione DICTI patet. Nam si affirmativa fieri conclusio debet, major universaliter dicatur de omni mediò, mediussq; de suo subsumptò dicatur vel *universaliter*, tum etiam universaliter concluditur, hinc *b Arb Ar A*. Vel *particulariter*, ubi particularis quoq; conclusio, hinc *d Ar II*. Sin v. extruenda negativa sit conclusio, removeatur major de omni mediò, & medius, cui inesse debet minor, dicatur de minore vel *universaliter*, hinc *c El Ar Ent*. Vel *particulariter*, hinc *f Er IO*. Quatuor igitur Modi sunt, quorum præmissa major semper est universalis propter dictam DICTI rationem. Minor nunquam negat, medio siquidem debet inesse, quò, quicquid de omni mediò dicitur, sibi queat attribui. Unde illi Canones: *Ex puris particularibus, purisq; negativis nihil sequitur. Sit minor affirmans, nec major sit specialis &c.* Quatuor etiam *secunde* modi sunt, quod itidem DICTI probat conditio. Non nisi negativè figuram hanc colligere, compertum per ἀσυλλογιστίαν est: igitur, vi dicti de Nullò, altera præmissa negans, altera affirmans esse debet. Unde vel negante majore, minor affirmat *universaliter*, hinc *c Es d r E*. Aut *particulariter*, hinc *f Es In O*. Vel, majore affirmante, minor negat *universaliter*, hinc *c Am Es r Es*. Aut *particulari-*

l. prior. 4.
r. 27.

Gieff. l. 2.
dial. p. 336.

Beg. l. 4.
prol. 5.

l. prior. 5.
r. 29.

ulariter, hinc *b. Ar. Oc. O.* Sunt hi secundæ modi; quorum major manet universalis, tum propter *DICTUM*, tum propter *ἀσυλλογισίαν*, quia ex veris falsum sequeretur. *Minor v. præmissa libera est.* Hinc illi canones: *Ex puris affirmativis, puris negativis, & particularibus puris nihil sequitur. Conclusio sit negata. UNA negans præeat, nec major sit specialis.*

2. prior. 2. t. 2.

Habet autem *tertia* modos sex, quod ex ratione *DICTI*, vel, qui h. l. magis est evidens, hujus Canonis apparet: *Quæ in unò tertio conveniunt, inter se conveniunt; & contra.* Igitur affirmantis extrema syllogismi conveniant in Medio, necesse est: ex quò affirmantes fiunt præmissæ, & vel *utraq;* universalis, hinc *d. Ar. Apt. I.*; vel *alterutra*, hinc *d. Is. A. m. I.*; *d. Ar. Is. I.* Negantis v. syllogismi alterum extremorum insit, alterum non insit medio (nam si neutrum insit, puræ fiunt negantes; sin utrumq; syllogismus sit affirmans) Aut ergo *utraq;* præmissa est universalis, hinc *s. El. A. p. t. n.*; aut *alterutra*, hinc *b. Oc. Ar. do.*, *s. Er. Is. n.* Hi sunt figuræ hujus modi, quorum libera major est: minor semper affirmans, propter *ἀσυλλογισίαν*. Conclusio semper est particularis, quia, quæ in unò tertio conveniunt, non statim quæcumq; inter se identitate conveniunt. Hinc Canon: *Sit minor affirmans, Conclusio sit specialis.* Nunc summam itaq; cum Philosophò syllogisticos modos numeram⁹ quatuordecim

El. Soph. c. 6. t. 8.

Modus, Gr. *ῥεῖπος*, dici quibusdam *παρὰ τὸ μέδεν, κυρὰ* *rare vel regere*, videtur, fieriq; à Præt. Med. *μέμοδα, sum moderatus.* Certam h. l. notat propositionum syllogismi, secundum quantitatem ac qualitatem debitam, dispositionem; quæ intellectum, ne in consequentiis ne tendis peccet, dirigit quasi ac moderatur. Diximus, *certam dispositionem*: cum vel duodecim supra quingentos fingi atq; exco- gitari modi queant; at summam partem *ἀσυλλόγιστοι*, h. e. qui formalem concludendi non habent vim; qui ex veris

1. prior. 6. t. 22.

1. prior. cap. 4. 5. 6.

Giess. l. 2. dial. p. 319.

J. Mart. inst. Log. Reg. lib. 4.

probl. 5. Dan nb. Id

in si- Diss. p. 210.

at hō
r fini
nec
ipsâ
esse,
um
iffi-
on-

DI-
major
ub-
iter
rti-
ga-
&
ni-
IO.
per
or
ic-
illi
se-
a-
at
n-
e-
el
A-
n-
i-
i-

Gveinz. de
Syll. disp.

in simili formâ falsum colligunt. Urgentus nos syllogisticos, qui perpetuò veram servant consequentiam. Præcepta siquidem debent esse universaliter vera. Horum supra, cum potiori Logicorum scholâ, decem & quatuor dari, nec plures, nec pauciores, demonstravimus. Nonnemo, minorem hujus: *Qui non credit, damnatur: Judæi non credunt, Ergò:* negativam defensusurus, quando sibi objicitur, syllogismum talem in nullò modò fore; *Nihil, inquit, periculi est, dum modò hoc syllogismorum genus rectè concludat, licet ad nullum modòrum nominatorum referri possit, cum plures sint istis vulgaris, Barbaræ, Celarent, &c. Et si quidem in nominati, cum vocales deficeret ad tot minutias minutatim persequendas.* Verùm loqui Autorem credo de Modis ἀσυλλογιστοῖς; quales dari adhuc alios ideò haud ægrè largimur. Si autem de syllogisticis ipsi sermo sit, de suis ipsius recordamur verbis, dum paulò ante; *violare, inquit, in argumentandò primam argumentationis normam seu dictum de O. & N. simpliciter nefas est.* Subsumimus: quando assumptum non inest medio, sed hoc de istò negatur, ut sit, pro citatò Autoris syllogismo, *barbæra*; violatur tum illa norma, quæ vult, ut minor insit medio, & affirmativè sub eò subsumatur. Ergò. Eundem cuneum similibus, præter nostrates adductis, *Ramæorum* modis ac nodis tenemus adhibendum. Laudatus v. Autor instat: *Ad quos modos referes syllogismos primæ figuræ singulares?* Cum B. Dn. D. Jac. Mart. respondemus; quoniam propositiones singulares singulariter acceptæ, habent ingenium Universalium, quas in se potentiâ continent, quis poterit negare, syllogismos singulares potentiâ habere dictum de O. & N. cum virtute sint universales? Quamobrem, ut ipse Autor alibi respondet, *seorsim hic commentandum nihil est, cum eadem sit concludendi ratio in eis, quæ in Syllogismis universalibus;* adeoq; referen-

i. prior. 14.
e. 3.

inst. Log. l.
4. c. 7.
Hipp. probl.
Log. 26.

ferendos esse ad modos universales nulli dubitamus. Quemadmodum igitur adultera olim his verbis ejiciebantur à maritis: *Res tuas tibi habeto!* Idem aliis, modorum bonitatem ac numerum adulterantibus, merito infusuramus: *Exite, & modos vestros vobis habetote!*

Quæst. VIII. Numquid reductione & expositione sit opus. resp. EST.

Omnes trium figurarum syllogismos Dictò de O. & N. hactenus constitit niti: quare eadem & æquè perfecta dubiò procul consequentia est omnium. Veruntamen, qui actu & expressè congruunt ad id, quoniam evidentioris consequentia sint eis, qui implicite & sub obscure, dubitat nemo. Cujus evidentia respectu secundæ tertiæq; syllogismi figuræ ἀτελής, imperfecti, ac per primæ modos dicuntur perfecti. Proin ad deponendam quasi imperfectionem suam, reducuntur; & necessaria reductio, non quidem ad *dam*, sed *manifestandam* consequentiam statuitur. Materie contra, non formæ, evidentia inservit *Expositio*, quoniam per singulare, quod ibi locò medii est, necessario concluditur particulare. κατὰ τὴν ἐκτεθέντος ἐστὶν ἀναγωγίως, inquit Philosophus.

Reductio, Græcè ἀναγωγή, ab ἀνάγειν, *reducere*, dicitur, quia secundæ ac tertiæ figuræ syllogismi εἰς τὴς ἐν τῷ πρώτῳ σχήματι, beneficiò ejus, ἀναχθίσοντα seu *reducuntur*. Fit hoc vel *δεικτικῶς*, *ostensivè ac directè*; vel *διὰ τὴν ἀδυναμίαν*, per impossibile & obliquè. Illò modò, mediante transpositione, conversione, contrapositione, aut etiam consecutione, vel eadem conclusio, vel saltèm conversa in primâ figurâ infertur. Omnem hujus reductio- nis, cognomenta modorum, *Cesare, Darapti &c.* explicant rem: de quò apud Logicos passim. Ex recentioribus hoc notamus, non amplius ab hac *δοκιμασία* modos *Baroco & Bocar*.

Hipp. probl.
Log. 36.

1. prior. 7.
t. 8.
Scheibl. tr.
Syll. c. 11.
num. 7.

1. prior. 8.
t. 3.

1. prior. 7.
t. 12.

1. tr. nucl. p.
231.

Nucl. log.
p. 217.
ib. p. 221.

a. post. 19. t. 7

t. prior. 27.
t. 3.
Dānh. Epis.
p. 122.

Bocardo, hactenus per impossibile duntaxat reduci solitos, excipi. Habere enim eandem cum cæteris modis & originem, & consequentiam, & evidentiam, & naturam, indeoq; ejusdem principii perfectivi participare. Et sanè usus non repugnat, quomodo feliciter id persequentem *Clariss.* Iterum videas! Posteriori modo, ac per impossibile, ex contradictoriâ conclusionis, alteri præmissarum adjunctâ, reliquæ infertur præmissâ contradictoria. Finis reductionis ejus est convincere, qui, concessis præmissis, negaret consequentiam, quâ de re conferantur Autores. Cæterum *Expositio*, Gr. ἐκθεσις, ab exponendò nomen habet, quia, dum communioris medii locò, proprium ac Singulare accipit, rem quasi oculis exponit, quandoquidem singularia substant sensibus. Vocatur *reductio per expositionem*; omniq; competit figuræ, commodissimè tamen tertiæ, ubi medium semper subjicitur; veluti aptiora quoq; singularia subjiciendo, quàm prædicando, sunt. Hisce *δοκιμασία lapsus*, quò imperfecti syllogismi solent probari, *Lydius*, uti & exercitii præsentis nostri *terminalis*, ponitur;

SOLI DEO GLORIA!




Ung VI 73

ULB Halle

3

004 108 515







I. N. J.
QVÆSTIONES
LOGICÆ

De
Syllogismi terminis, Euporiâ, Apo-
dixi, Sagacitate, Dicto de omni & nullô, Figurarum
ac Modorum numerô, & *Δοκιμασία.*

QVÆS
PRÆSIDE
VIRO CLARISSIMO
DN. M. ERNESTO BAKIO,

Amplissimæ Facult. Philof. Adjunctô dignissimô,
Dn. Præceptore, Fautore & AVUNCULO suo hõ-
noratiff. dilectiff.

placidæ eruditorum disquisitioni
ad d. 23. April. horis antem.
in Auditorio Majori,
proponit

JACOBUS Wächter / GRIMMENSIS
Autor & Respondens.

WITTEBERGÆ,
Typis JOBI WILHELMI FINGELII,
ANNO cto 1769.